

I. In titulo ad rerum memoriam sub Nerone in oriente gestarum supplendam gravissimo Ti. Plautii Silvani Aeliani, edito CIL XIV 3608, non contigit Dessauio ut omnia recte expediret, immo confugit eo ut profiteretur verba tituli non cum diligentia esse dictata. At plane veri simile non est, elogium viri consularis in quo etiam verba ex oratione imp. Vespasiani afferantur non summa cum cura conceptum esse. Atque mihi quidem etiam haud absolum videtur conicere ipsam eam orationis partem, in qua enumeratur quae Ti. Plautius contra Sarmatas Scythas quae bene gesserit, redire si non ut iudicium infra scriptum ad orationem Imperatoris, tamen ad ipsum senatus consultum in honorem Plautii factum. Nostrum igitur erit videre ane diligenter percutiendo verba difficilia sententias probas eliciamus. Sunt autem haec:

Ti. Plautio M. f. Ani(ensi) Silvano Aeliano legat(o)
pro praet(ore) Moesiae |, in qua

10 1) plura quam centum mill(ia) | ex numero Transdanuviano-
(rum) | ad praestanda tributa cum coniugib(us) | ac l(j)berjs
et principibus aut régibus sujs | tránsdúxit;

2) mótum orientem Sarmatar(um) | compressit, quamvjs parte(m)
15 magná(m) exercitús | ad expeditjōnem in Armeniam mjsisset; |

3) ignótos ante aut infensos p(opulo) R(omano) réges signa |
Rómána adóráturos in rjpam quam tuebatur | perduxit;

4) régibus Bastarnárum et | Rhoxolánorum fjlios, Dácorum
20 frátrum | captos aut hostibus éreptos remjsit, ab | aliqujs
eórum opsides accépit;

per quem pácem | próvinciae et confirmavit et prótulit, | Scy-
thárum quoqué régem a Cherrónensi, | quae est ultrá Boru-
stēnen, opsidióne summóto. | Primus ex ea próvincia magnó

25 trjctici modo | annónam p(opuli) R(omani) adlevavit eqs.

Hac discriptione sententiarum facta vides quam bene omnia disposita sint. Praepositum est nomen Moesiae provinciae; iam formula *in qua* enumerantur quattuor res singulae, deinde summam facit auctor; *per quae* (in hoc erravit lapidarius) *pacem provinciae et confirmavit*. Sed Plautius non in eo se continuit, ut ipsam provinciam pacaret, *protulit etiam pacem provinciae* i. e. talem pacem, qualis erat in provincia, ultra eius fines *summoto rege* (error lapidarii) *Scytharum ab opsidione Cherronensi, quae est ultra Borustenen*, nedum ultra Moesiae provinciae fines. Ultimum additur Plautium ex provincia tam longe remota ipsi Urbi profuisse mittendo frumenta. Ergo haec omnia non solum non incompte, sed artificiosissime cogitata et perscripta sunt, ita ut vocabula: *in qua, provinciae, provinciam* longae periodi quasi miliaria posita sint. Lapidarii autem sunt, si qua errata sunt tam pauca et parva; haec enim l. 14 PARTEMAGNA pro: partem magnam, l. 21 PER QVEM pro: per quae. l. 23 REGEM pro: rege.

Restant interpretanda ea quae sub numero 4) posui. Nil deest, nil falsum est, dum agnoscas auctorem rhetoris modo orationem contraxisse. Intellege: regibus Bastarnarum et Rhoxolanorum filios (remisit), (regibus) Dacorum fratrum (i. e. sociorum) captos aut hostibus ereptos remisit, ab aliquis eorum (i. e. Dacorum non fratrum) opsidem accepit. Verba autem *Dacorum fratrum* non cum Dessauio mutanda sunt. Iam tironibus notum est *Aeduos fratres consanguineosque saepe numero a senatu appellatos*; etiam Cicero (ad fam. VII 10. 4 ad Att. I 19. 2) ut senator verba facit. Quod si nobis alias nihil traditum est, etiam Dacos a senatu fratres appellatos esse, en habemus hic verba senatus consulti, ex quo nos discere melius erit quam dubitare. Fieri autem potuit ut Daci 'fratres populi Romani' appellarentur in epistula quadam senatus ipso Plautio auctore data. Nolo omittere eandem cautionem in expendendis vocabulis, qua dictum est *Dacorum fratrum* pro Dacorum sociorum, apparere l. 11, qua legimus *principibus aut regibus*, ut iam videas, non sine causa me supra coniecisse, verba elogii si non ipsius esse senatus consulti in honorem Plautii facti, certe secundum id perscripta esse.

II. Versus admodum difficiles scripti sunt in titulo aevi Augustei Nomentano CIL XIV 3945, qui dubito num in anthologia epigraphica (exstant sub numero 366) plane recte explicati sint. Legimus ibi

parcitis heredi et vos insentibus dedite morti.

si quid mortui habent, hoc meum erit, cetera liq(ui).

Lectio nusquam videtur dubia esse, at distinctis et explicatio sententiarum subobscura est. De primis verbis nemo dubitat; dicta sunt ad Manes: *parcite heredi*. Iam Buechelerus dubitanter sequentia sic interpretatur quasi ad eosdem Manes data: et *dedite vos sepultis ad mortem, habitate loca mortis* — et recte dubitat, nam nimis contorte haec dicta essent. Mommsenus (ad CIL) explicaverat ut responsum Manium: et vos praetererentes insentibus (iis qui in sepulcro insunt) dedite morti (scil. debita), Quam interpretationem recte monet Buechelerus stare non posse,

quia desit verbum gravissimum, nempe 'debita'. Accedit quod *et* vocula sine ulla fere vi posita esset. Hoc tamen puto suo iure posuit Mommsenus, responsum Manium incipere ab *et*. Hanc distinctionem vel solus hiatus post *heredi* commendat. Sed ne longior sim, adscribam quomodo sententias diiungendas esse opiner.

'parcitis heredi!' 'et vos insentibus! dedite morti,
si quid mortui habent! hoc meum erit, cetera liqui'.

Manes igitur, cum moniti sint, ne heredi noceant (ex. gr. nocturnis imaginibus) commoti scilicet invidia, quod is iam bonis suis fruatur, respondent: et vos (qui vivitis heredesque estis) parcite insentibus (scil. in sepulcro), nolite eos laedere (omissis scil. iustis), immo dedite morti (i. e. mortuis) si quid mortui habent (h. e. nescio, num dona sepulcralia et annua pertineant ad mortuos, attamen dedite). Iam pergunt Manes numero singulari: hoc (scil. dona, qualia mortuis conveniunt) meum erit, his muneribus contentus ero, cetera (quae iam vos habetis) liqui, (ea non iam mihi vindico) neque est cur vos vivi metuatis, ne ego vobis invideam vos que laedam. Ita apparere puto quomodo homo aliquis non poeta, sententiis haud inficete conceptis, pedem offendere potuerit infundendo versibus, quae soluta oratione sat belle composuerat, adeo ut versus secundus evaderet paene asclepiadeus maior. Atque nescio num versuum distinctio in lapide satis sit ad demonstrandum, auctorem non sibi visum esse *tres* facere versus sic labentes:

'parcitis heredi!' 'et vos insentibus!
dedite morti, si quid mortui habent!
hoc meum erit, cetera liqui.'